2

DISPUTATIO MEDICA,

INAUGURALIS

DE

OPHTHALMIA.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
OPHTHALMIA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII,

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRAEFECTI:

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

IN COMITIIS

UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

J. M. DANIEL, A. M.

VIRGINIENSIS.

SOCIET. AMER. PHYSIC.

SOC. EXTRAORD. AC PRAESES ANNUUS.

Ad diem iv Octobris hora locoque ſolitis.

This likewiſe is a ſore evil under the ſun.

STERNE.

GLASGUAE:

IN AEDIBUS ACADEMICIS

EXCUDEBAT ANDREAS FOULIS,

ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

M.DCC.XCI.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b24935189

Viro

admodum reverendo

ROBERTO BUCHAN,

ingeniis proboque pectore

perquam inſigni

qui,

cum

in literis cura fere paterna aſſidue inſtituendo,

vim inſitam doctrina, quantum potuit, promovit,

et pectus annis etiamnum lubricum rectis cultibus

roboravit;

hocce opuſculum,

Medicinae ſtudiorum primitias,

haud ſimulatum

grati animi

teſtimonium,

ſacrum

amore et obſervantia ſummis

voluit

amicus devinctiſſimus

J. M. DANIEL.

J. M. DANIEL,

AMICO SUO DILECTISSIMO

RICHARDO FIELD, M. D.

PETROPOLITANO VIRGINIENSI, S. D.

TE, amice cariſſime, hocce munuſculo, quod quanti te faciam, tibi ſit teſtimonium, dono. Tuam erga me amicitiam, tuam fidem intemeratam, tuam comitatem morumque ſuavitatem, virile tuum animum neque in iram proclive neque injuriis aut contumeliis opportunum, tuam eruditionem et doctrinam, omnia, dum EDINBURGI, medicinae ſtudendo verſati, peregrinati ſumus, perſpecta et probata habui. Alium, quem pluris te faciam, haud novi; neque in toto terrarum orbe eſt, cui PYLADI ORESTES eſſe dilectus et fidus mallem. Ut nihil inauſpicati, qua conglutinamur amicitia, eam divellat, utque, dum aura veſcimur, uterque utrique, cariſſimi alterique quaſi iidem et ſimus et habeamur, obnixe precor. Nil te mihi eſſe carius, tibi perſuade; et cura ut te belle habeas. Vale.

J. M. DANIEL,

AMICO SUO CARISSIMO

CAROLO MINOR,

AMERICANO VIRGINIENSI, S.

MIHI, ſpectatiſſime amice, quam ſis carus, quanta, me amicitia, et oblectatione, dum EDINBURGI in medicinae ſtudium animos intendimus, ſis proſecutus, quantum utilitatis tua ex conſuetudine et familiaritate, dum ibi condiſcipuli eramus, perceperim, equidem ſentio, et, quin, hoc in opuſculo inaugurali, libentiſſime, quamvis inconditis forſan et inconcinnis verbis, confitear, nequeo. Nulli, quam mihi, te, ob acerrimum ingenium et ingenitas virtutes, eſſe cariorem, credas precor; et, ubicunque terrarum tibi vivere contingat, ſive tibi arrideat fortuna, ſive incertos alii lubrica tranſmutet honores, hominem me habeas, qui te tuaque aliena nunquam putabit. Fac, obſecro, me, ut ſum, fidiſſimum tibi amicum exiſtimes. Vale.

Cleghorn

with compts from

The Author

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

OPHTHALMIA.

I. OMNIA fere organa humani corporis, cum quarundam cauſarum actioni objiciantur, ad inflammationem prona ſunt. Facillime autem percipi poteſt, oculum, ob fabricam delicatiſſimam ſibi propriam, multo, quam caetera organa, inflammatione affici eſſe aptiorem.

II. TENERRIMI hujus organi inflammatio, ſub nomine *ophthalmiae*, apud medicos, nota eſt; et certe excuſate feciſſe videbimur, ſi ipſiſſimis CULLENI verbis eandem definiverimus. Celeberrimi hujus auctoris verba haec ſunt: " Rubor et dolor oculi; "lucis intolerantia; plerumque cum lachrymatione." *

* Vid. *Cullen* Synop. Noſolog. Method. Gen. VIII.

III. Idem auctor *ophthalmiam* in duas ſpecies dividit, prout aut tunicam *adnatam* oculi membranaſve ei ſubjacentes, aut *tarſum* palpebrarum occupaverit; neque melius, quo diſcrepent hae ſpecies, exponi poteſt, quam ipſius verba citando. Harum *prima* his ab eo verbis definitur: " *Ophthalmia* in tunica *adnata*, et ei ſubjacentibus membranis, ſive tu-" nicis oculi :" Altera autem his; " *Ophthalmia* cum " tumore, eroſione, et exudatione glutinoſa *tarſi* " palpebrarum." *

IV. Etiamſi fabrica oculi, ut hic ſemet *anatomicis* intuendum praebet, ea ſit, ut neutra harum ſpecierum diu et graviter exiſtere poſſit, quin alteram concitaverit; tamen, propterea quod diverſis efficiantur cauſis, eas, unam, ab altera, diſtinguere opus eſt; eoque magis, quod iis diverſae, cuique ſua, medendi rationes conveniant.

V. Auctores, et profecto minime perperam, *ophthalmiam* in *idiopathicam* et *ſymptomaticam* diviserunt. Sed, quamvis non ſimus, qui negemus, et rectam et utilem eſſe talem diviſionem, tamen, hac in diſputatione, tantummodo de illa diſſeremus;

* Ibid. Gen. VIII. Spec. 1. et 2.

in qua, dum urget, inflammatio ipſius oculi, aut quarundam partium ſibi propriarum, primaria ſemper affectio eſt. Alteram intractatam relinquemus; idcirco quod ſequela eſt alius cujuſdam morbi, vel in oculo ipſo exiſtentis, vel in alia quadam corporis parte, et *ophthalmiam*, per conſortium mirandum forſan, non autem hic loci nobis fuſius explicandum, quod ei parti cum oculo intercedat, inducentis.

HISTORIA MORBI.

VI. Cum *ophthalmia* plerumque in tunica *adnata* ſita ſit, quibus ibi ſignis ſeſe oſtendat, hic loci exponere opus eſt. Hujus tunicae vaſcula, quibus fluit ſanguis, praeter naturam turgeſcunt et diſtenduntur: Neque ea tantum, quae ita fabricatae ſunt Natura, ut ſanguinem rubrum acciperent, ſed ea quoque, quae tenuem tantummodo humorem, ſeri ſimilem, et coloris expertem naturaliter accipere ſolent. Haec enim adeo dilatantur, ut, ſecus ac ſi eſſent ſana accidere oportet, rubras particulas accipiant: unde fit, ut vaſcula oculi rubrum ſanguinem vehentia, numero, praeter naturam, augeri videantur.

VII. Talis vaſorum diſtentio magnopere eadem irritat, et, ut oculus, quoties moveatur, graviſſime doleat, efficit. Haec irritatio glandulas, quibus ſecernantur lachrymae, afficens, moleſtas oculi affecti lachrymationes inducit.

VIII. Inflammatio hoc modo in tunica *adnata* incipiens, plerumque, per hanc membranam, ſerpit, donec palpebram et MEIBOMII glandulas corripiat. Quo cum acceſſerit, ut hae materiam ſeroſam ſibi propriam quantitate ſolito majore ſecernant, uſque eo facit, ut, inter ſomnum, palpebrae perſaepe quam arctiſſime conglutinentur; ita ut, ob tenerrimam et morbidam oculi conditionem, niſi graviſſimo cum dolore, divelli non poſſint.

IX. Hic autem loci obſervandum eſt, inflammationem modo (VIII.) dictam, etiamſi, ob eam, vaſa *adnatae* rubrum ſanguinem vehentia, plurimum et numero et magnitudine augeri videantur, rariſſime tunicae *corneae* impetiri. Verum haec tamen non ſemper a malo incolumis evadit; nam interdum pluribus maculis paucioribuſve, luci imperviis, obcaecatur.

X. Inflammatio, quoties perquam ingraveſcat, et totum per organum dimanet, intuitum dolentiſſimum, et vix quidem tolerandum, duas ob cauſas, reddit: ut enim hic fiat, in primis, ut moveatur oculus, opus eſt; dein, ut ei affulgeat lux, quae talem efficit irritationem, quam *retina* inflammatione affecta, et praeter naturam facta *ſenſilis*, graviſſimo ſine dolore, ferre non poſſit.

XI. Dolor, quem concitet *opthalmia*, non ſolum vaſcula oculi interius ſita afficit, ſed etiam totum per caput ſaepa dimanat.

XII. Cum oculus ea ſit fabrica, et ita ſit ſitus, ut humorem effuſum diu ſtagnare non ſinat, *ophthalmia* raro in ſuppurationem deſinit, et adhuc rarius in gangraenam ſeu *ſphacelum*. Graviſſima quando eſt inflamatio, acies oculi, ſi non prorſus obumbretur, tamen nubeculis luci impenetrabilibus, quas ea in tunica *cornea* effecerit, plurimum hebetatur.

CAUSAE REMOTAE.

XIII. Priuſquam de his diſſerere aggredimur, mi-

nime a re noſtra alienum erit obſervare, JACOBUM CARMICHAEL SMITH, medicum ſagaciſſimum, exiſtimare, non ſolum ſigna et terminationem *ophthalmiae* multum, prout diverſae cauſae eam concitaverint, variare, ſed diſcrimina quoque diverſarum ejus ſpecierum, quas dignoverint medici, a cauſarum excitantium diverſitate, magna ex parte, pendere. SMITH, hac in re, libentiſſime accedo: nam, me judice, magnum diſcrimen eſt, inter eam inflammationem in *capſularum* articulorum ligamentis ſitam, quam effecerit podagra, et eam, quae e *ſcrophula* ſeu *lue venerea* orta ſit.

XIV. Idem auctor, quo, quae dixiſſet, vera eſſe oſtenderet, complura exempla memorata habuit, quae ipſius verbis enarrabo. "How different are the ef-"fects, that follow from the abſorption of *vene-*"*real*, *cancerous*, or *ſeptic* matter; yet all of them, "in the firſt inſtance, excite pain and inflamma-"tion." Quae dixit hic auctor, ea adeo vera ſunt, adeoque clara, ut aliquid, quod ea magis ſtabiliat, aut intellectu faciliora reddat, hic dicere, minime opus ſit. Verum exemplum tamen, quod ad rem noſtram multo magis attinet, adducere poſſumus.

XV. *Ophthalmia*, etiamſi, cum primum appareat, eadem, quacunque cauſa concitata fuerit, prope ſigna oſtendat; tamen, quae frigore ſeu vi externa effecta ſit, ea multum reipſa ab ea differt, quae a *ſcrophula* ſeu *lue venerea* oriatur, et rationem medendi admodum utique diverſam requirit.

XVI. Quantum cauſae excitantes, ad naturam inflammationis variam reddendam, valeant, memorare neceſſarium habuimus, quia earum cognitio, quamnam curandi rationem prae caeteris ſequeremur, optime indicat. Nunc redeamus ad inceptum, et, quae *opthalmiam* potiſſimum concitent cauſae, eas quam pauciſſimis recenſeamus.

XVII. In primis memorare oportet, vim oculo ipſi, praeſertim dum patent palpebrae, ita illatam, ut tenerrimam ejus fabricam laedat.

XVIII. Inter cauſas, quae oculi inflammationem concitant, memorandae ſunt res omnes, inter globum ipſius oculi et alterutram ejus palpebram, ſeu incuria ſeu caſu extrinſecus admiſſae; quae, vel ob acrem naturam ſibi propriam, vel ob asperam ſuperficiem, tenerrimam oculi fabricam admodum vel ir-

ritant vel laedunt. Hoc ad genus pertinent fumus et vapores; particulae ſolidae, quibuſque eſt ſuperſicies exaſperata, ſaburra, velut, ramentum et ſcobs. Hujus quoque generis ſunt pili ciliorum, inter ipſos oculorum globos et interiores palpebrarum ſuperſicies, intorti, et inflammationem, irritando, concitantes.

XIX. His cauſis accedant lux vivida oculis affulgens; et calor, qui, ut celeberrimus obſervat CULLENUS, permultum, praeſertim ſi auxilietur humor, ad oculorum inflammationem concitandam, pollebit. Calor, praeterea, et frigus ſeſe invicem excipientia, moleſtiſſimum hoc malum concitare feruntur.

XX. Hic loci non poſſumus quin obſervemus, quadam anni tempeſtate, in meridionalibus regionibus AMERICAE SEPTENTRIONALIS *ophthalmiam* in NIGROS, ſervilibus ibi officiis occupatos, graviſſime ſaevire. Quaenam hujus ſint cauſae, minime a re noſtra alienum erit inveſtigare.

XXI. 1. Miſerrimum utique hoc genus hominum, quod, inſons quidem injuriae, potentiorum libido

dominandi, et inexplebilis mercatorum avaritia, nefando commercio, et DIIS et probiſſimo quoque homine nunquam non aſpernando execrandoque, in ſervitutem turpiſſimam et vix tolerandam detruſerunt, diu ſane multumque, per menſes calidiſſimos JULII et AUGUSTI, cauſis (XVIII. et XIX.) recenſitis una agentibus quotidie objectatur. Eo enim tempore, frumento INDICO colendo verſatur, quod in tantam jam denſitatem et proceritatem creverit, ut ardorem ſolis, non vero ſalubrem aëris perflatum, habeat.

2. Medio hoc frumento, dum interim eorum capita fervidis, et vix obliquis, ictibus ſol irradiat, ſervi agreſtibus operibus occupati, humum natura pulverulentum, et tum ſolis ardoribus aduſtum, armis CEREALIBUS, pulvere cooperti, ſolicitant. Praeter injuriam, quam oculis afferat humi pulvis, nonne pollen ſubtiliſſimum, quod tum ex frumento INDICO magna copia avolat, eoſdem magnopere laedere poteſt?

3. Nobiſmetipſis olim oblata eſt occaſio, duo, uno tempore, *ophthalmiae* exempla obſervandi, quae cauſis hic loci allatis effecta fuiſſe viſa ſunt. Quo-

rum in uno, febris, veternus ſeu *coma*, et delirium eo proceſſerunt gravitatis, ut mortem afferrent. Alterum comitata eſt magna vis inflammationis, quae, poſtquam in antrum HIGHMORIANUM ſerpſiſſet, in ſuppurationem ruit; et abſceſſus, per foramen extirpato dente factum, ſeſe exoneravit.

XXII. INTER cauſas *ophthalmiae* concitatrices ponenda eſt quoque acies ipſius oculi, nimis acriter diuque, ad res quaſlibet minutas intuendum, intenta.

XXIII. Multus itidem *ſpirituum*, ut vocantur, *ardentium* uſus, plurimum ſane, ad inflammationem oculorum concitandam, valet. Verum adeo quidem eſt hoc, ut, a tempore * SOLOMONIS ad hunc diem uſque, ebrioſitatem, ut irrubeſcant oculi, efficere, fuerit tritum ſermone proverbium.

XXIV. Quaedam capitis et ipſius quidem oculi mala, *ophthalmiam* haud raro efficiunt. His accedat acrimonia quaedam, vix autem, et ne vix quidem,

* Who hath woe? who hath ſorrow? who hath contention? who hath babbling? who hath wounds without cauſe? who hath *redneſs* of eyes?

They that tarry long at the *wine*; they that go to ſeek *mixt* wine. Proverbs of SOLOMON, cap. xxiii. v. 29, 30.

verbis deſcribenda circumfluum ſanguinem inquinans, et glandulas palpebrarum ſeroſas irritatione et inflammatione afficiens.

XXV. His cauſis annumerandum eſt, quidquid efficit, ut ſanguis quantitate et impetu adauctis ad caput affluat, vel, quo minus expedite ad cor refluat, impedit. Hoc ad genus cauſarum pertinent plurimae, quas ut ſingulatim recenſeamus, minime profecto opus eſt.

XXVI. His, de cauſis *ophthalmiae remotis*, perbreviter, dictis, nunc, quaenam ejuſdem ſit cauſa *proxima*, quam poterimus breviſſime exponere aggrediemur.

CAUSA PROXIMA.

XXVII. In exponendo, quaenam ſint cauſae morborum *proximae*, medici adeo inter ſe diſconvenerunt, adeoque confuſe et quidem abſurde ratiocinati ſunt, ut, ipſam hujuſmodi cauſarum notionem ut prorſus abjiceremus, prope adducti ſimus. Notionem cauſae *proximae* eſſe aſpernandam ſi opinaremur, noſtrae opinionis fautorem habere-

mus medicum, toto notum in orbe, qui, quam abſurde, confuſe, ineptequc, de cauſis morborum *proximis*, diſſeruerint medici, memorans, his utitur verbis. "Non mirum eſſe poterit, multa medicorum commenta, de cauſis *proximis* variorum "morborum, prorſus futilia eſſe, et non modo falſa, ſed adeo confuſa et obſcura, ut vix poſſint intelligi, neque fortaſſe ab ipſis eorum auctoribus "unquam ſatis intellecta fuerint." †

XXVIII. Veruntamen, quoniam medicorum plurimi, et hi quidem praeclari, in rebus ad medicinam pertinentibus, de cauſis *proximis*, etiamnum loqui perſtant, ea *opthalmiae* quaenam ſit, explicare conabimur.

XXIX. Si a CULLENO, nunquam ſane non venerando, in re aliqua diſſentire fas ſit, ab eo prorſus diſſentiamus liceat de cauſa *proxima opthalmiae*, et aliarum quarundam inflammationum, cum quibus ea aliquid ſibi commune habere videtur. Nobis enim cum illo auctore, *ſpaſmum* eſſe, minime convenit.

† Vid. GREGOR. Conſpect. Medicin. Theoret. vol. I. p. 29.

XXX. Differentia inflammationum inter ſe leviter (XIII. XVI.) perſtricta, nunc, quam ob rationem inflammationes, aliae ab aliis, diſtinguantur, exquirere oportet.

XXXI. Apud pleroſque auctores, inflammationes, haud ſecus ac ſi ſpecie diſcreparent, diverſas appellationes, propriam quaeque et ſuam, prout has partes corporis affecerint vel illas, adeptae ſunt. Verſamur vero opinione, ſigna diſſimilia, quae edant inflammationes, propriae ipſarum partium, quas inflammationes affecerint, fabricae, magna ex parte, tribuenda eſſe. Hoc ita eſſe, allatis exemplis clarius, quam ratiocinatione, patebit.

XXXII. 1. Eryſipelas eſt inflammatio, quae tantum partes, quibus obducitur cutis, afficere videtur; praeter enim eas, nullam, quantum ſcimus, aliam corripit. Si vero repellatur haec inflammatio, et, ut haud raro accidit, ad alias partes, pulmones veluti, cerebrum, aut alia viſcera transferatur, tum, quibus inſigniatur notis, eae neutiquam differunt ab iis, quibus inſignita fuiſſet, ſi, in ipſis his partibus, uſitatis cauſis fuiſſet concitata.

2. *Rubeolae* repulſae ſaepe *pneumoniam* itidem ef-

ficiunt: verum haec tamen eadem praebet ſigna, et eandem medendi rationem requirit, ac ſi alia quaelibet cauſa eam concitaviſſet.

XXXIII. Nunc, de ea inflammationis ſpecie, ad quam proprie pertinet *ophthalmia*, paucis dicendum eſt. Membranae omnes, quae pituitam ſecernunt, quarum una eſt *adnata*,* eadem affici inflammatione aptae ſunt. Sive enim Natura ita eas finxerit, ut tantummodo cava quaedam intus circumveſtirent, ſive ut quoſdam inſuper tranſmitterent vel continerent humores, omnes, ubicunque exiſtant, quaedam ſibi communia et tamen propria habent, quibus, ab omnibus aliis membranis corporis, prorſus diſcriminentur.

XXXIV. Membranis his omnibus eſt fabrica mollis, ſpongioſa, et plurimis obſita glandulis; quae humorem quendam, qui earum ſuperficiem lubricet, atque, quo minus erodantur a materia ulla acri cui objectentur, impediat, continuo ſecernunt.

XXXV. Ubicunque ſitae ſint hae membranae,

* vide Smith.

et inflammatione afficiantur, ſigna exhibent, quae, ipſiſſimam iis eſſe fabricam, oſtendunt, propter quam inflammatione ipſarum propria affici aptae ſint. In *blennorrhagia*, *catarrho*, et *ophthalmia*, quibus in omnibus afficiuntur, conſpicimus mucum partis praeter ſolitum rubrae et nimis ſentientis, cujus membrana praeter naturam addenſatur, quaeque vehementiſſime ardeſcit et dolet, minime, ut naturaliter oportet, perlucidum et tenacem; ſed vitiatum, adeoque tenuem et acrem, ut, quas contingat partes, eas perquam irritet, et demum ipſa quidem cute omnino nudet.

XXXVI. De his quoque membranis obſervandum eſt, inflammationem, qua afficiuntur, rariſſime ſuppuratione vel gangraena finiri; et hanc, ſi ea in hanc unquam utique ruat, vi cauſae inflammationem concitantis, non ipſi inflammationi, eſſe tribuendam.

XXXVII. Ut, quae, hac de re, hucuſque diximus, ea in compendium redigamus, concludere liceat, ſpecialem inflammationum inter ſe diſſimilitudinem, ex eo, quod corporis partes quas occupent, quod ad fabricam permultum inter ſe diſcrepent,

pendere; et, utcunque varia ſigna praebeant, utcunque diverſe ſeſe terminent, eam varietatem et hanc diverſitatem vi et natura cauſae excitantis omnino oriri.

XXXVIII. His (XXVII.—XXXVII.) praemiſſis, nunc, quaenam ſit cauſa *proxima opthalmiae* oſtendere conabimur: haec enim, idoneam ſi attulerimus, uni inflammationi cuique, quae partes afficiat quibus ſecernatur pituita, conveniet.

XXXIX. Quum, urgente *ophthalmia*, rubras ſanguinis particulas ad oculum non ſolum adaucta praeter ſolitum quantitate mitti, ſed, propterea quod in vaſcula, quibus naturaliter fluit nil niſi humor ſeroſus, vi propellantur inſolita, dolorem, ruborem et alia inflammationis ſigna efficere, obſervemus; concludere, nobis ſaltem judicibus, liceat, *errorem loci*, qui olim, et haud, ut nobis videtur, inepte, apud ſcholas medicinae adeo invaluit, *proximam* eſſe cauſam ejus inflammationis ſpeciei, de qua, hac in diſputatione, diſſeritur. Eodem vero tempore, minime noſtrum eſt conſilium affirmare, eſſe in ſanguine circumfluo ſeriem continuatam globulorum, quorum alii aliis, ad minimum uſque, deinceps ſint minores,

ut celeberrimus olim BOERHAVIUS ſtrenue, attamen perperam, docuit.

PROGNOSIS.

XL. 1. Utrum fauſtum hujus mali eventum an infauſtum praeſagiendum ſit, ex natura cauſarum quae id concitaverint, et gradu ſymptomatum quibus inſigniatur, medico diſcendum eſt.

2. Si cauſa, quae *ophthalmiam* concitaverit, oculi tunicarum fabricam non laeſerit, ſi inflammatio ſit levis, et non ultra tunicam *adnatam* et palpebras dimanaverit; ſi copioſae effluant lachrymae, et pravo corpus non ſit habitu; fauſtum eventum brevi venturum eſſe praecinere licet.

3. Sin res omnino aliter ſeſe habeant; dolor, ſcilicet, et inflammatio perquam gravia ſint et pertinacia; parcae lachrymae et acres; et vitiata corpori conditio; periculum ſane haud leve eſt, ne penitus ſuppuret totus oculus, et viſus permultum hebetetur.

RATIO QUORUNDAM SYMPTOMATUM.

XLI. 1. Quae ſupra (VI. et VII.) diximus, ea,

cur *rubor* oculi et *dolor* efficiantur, ſatis explanabunt. Quoties enim cauſa, qualiſcunque ſit, efficit, ut arteriae ſanguinem, ubivis corporis, praecipue autem in oculo, vehentes, uſque eo enixe micent, ut in *arteriolas capillares*, per quas nil, praeter humorem albidum, tenuiſſimum, naturaliter fluere oportet, rubras ſanguinis particulas propellant; quin diſtentio et irritatio, quae concitet hic peregrinus quaſi humor in perangusta itinera propulſus, dolorem, ruborem caeteraque inflammationis ſigna efficiant, eſſe utique non poteſt.

2. Hoc ita eſſe, ſane tam incredulus eſt nemo, qui dubitet, Rubrae enim ſanguinis particulae, quas ſolidas eſſe et globoſas concedunt omnes anatomici, ſi in minutiſſimas oculi arterias, eas accipere vel admittere non ſolitas, et anguſtiores multo, quam per quas facile fluere poſſint, qualibet cauſa propellantur, vehementem ibi irritationem et fere intolerandam concitabunt.

XLII. 1. Ut rationem, ob quam *retina* adeo ſit *lucis impatiens*, afferamus, tantum opus eſt, ut conſortium mirandum, quod nervorum generi eſt

cum eo arteriarum, animum advertamus. Satis enim multis ex rebus conſtat, arterias et nervorum genus, ſalutarem vim et *ſenſilitatem* a ſe invicem, illas ab hoc, hoc ab illis, mutuari. Ita utrumque per ſe indigens, alterum alterius auxilio eget. Res cum ita ſit, qua ratione vigor arteriarum et earum potentia ſemet contrahendi, in qualibet parte, ſanguine illuc nimia quantitate affluente adaugeantur, eadem eodem loci nervorum *ſenſilitas* acuetur.

2. Verum hoc eſſe, malum, ad quod diſputamus, quam optime probat. Si enim ob ullas cauſarum, quas jam (XVII—XXV) memoratas habuimus, ſanguis ad oculum tali affluat quantitate, qualis inflammationem efficiat, *retina* ſit eo uſque praeter naturam ſentiens, ut lux quidem obſcuriſſima ei affulgens, graviſſimum dolorem afferat.

RATIO MEDENDI.

XLIII. Cum obſervamus, quali fabrica ſit oculus; quam ſit, ob mirandam et tenerrimam fabricam, laeſioni opportunus, quam gravem dolorem afferat laeſio quidem leviſſima; et quam neceſſari-

um ſit organum, non ſolum ad plurima mala praecavenda, ſed etiam ad multa perfruenda bona, quae nobis alma Natura largita ſit; quin lamentemur non ſane poſſumus, *ophthalmiam*, quae tam ſaepe vehementerque urget, inexercitatorum imperitorumque medicorum curae haud raro demandari. Quoniam enim imperitorum eſt inconſulte et temere agere, remedia validiſſima, et qualia, ad malum et gravius et pertinacius reddendum, plurimum poſſint, admovenda plerumque curant.

XLIV. Quo *opthalmiam* ſanemus, in primis et potiſſimum, cauſas, ſi adſint, quam poſſint citiſſime tollere opus eſt. Ex his quaedam, ad quas tollendas neceſſaria eſt ars chirurgiae, qua poſſint amoveri ratione, ipſae oſtendunt. De caeteris, hac in diſputatione, infra diſputabitur.

XLV. Ratio medendi duo in ſe complectitur conſilia; quorum

Primum eſt, impetum ſanguinis, vel ubique corporis, vel, quod ſaepius neceſſarium eſt, in oculo tantum, imminuere;

Secundum, ſigna, quae vehementiſſime urgeant, leviora reddere.

CONSILIUM PRIMUM.

XLVI. Ad hoc conſilium perficiendum complura remedia utilia ſunt et neceſſaria; quorum de ſingulis jam breviſſime dicendum eſt.

XLVII. *Sanguinis detractio*, hic loci, primum memoranda eſt. Ut, urgente *ophthalmia*, ſanguis grandiore vena ſoluta detrahatur, vel ut laborans tenuiſſima diaeta utatur, praecipere minime ſemper opus eſt; propterea quod univerſum corpus rariſſime afficitur, et inflammatio ipſum tantummodo oculum plerumque corripit.

XLVIII. Verum enimvero et detractio ſanguinis generalis, et diaeta tenuiſſima, interdum neceſſaria ſunt; idcirco quod inflammatio oculi, *diatheſi phlogiſtica*, ut loqui medicis placet, ſuſtentatur, neque, hac non prius ſublata vel ſaltem multum minuta, tolli aut conquieſcere poteſt.

XLIX. Sanguinis miſſio, utiliſſimum, inflammatio oculi dum urget, profecto remedium eſt; et, quo propius oculum fiat, eo plus proderit. Hac

adducti opinione, quidam auctores incidendam arteriam temporum, aut venam juguli, praeceperunt. Hoc modo ſanguinem detrahere utile eſſe, niſi cum adſit *diatheſis phlogiſtica* (XLVIII.) memorata, concedere non poſſumus. Et profecto, etiamſi adſit haec *diatheſis*, tamen, quam nunc diximus ſanguinis miſſionem, ea anceps mihi propterea videtur, quod non ſolum non commode ſieri poteſt, ſed ligamentum, inter detractionem admotum, comprimendo venas, quae ab oculo ſanguinem avehant, ideoque ut hic in oculo nimis accumuletur faciendo, plus ſecum mali affert, quam quantitas ſanguinis amiſſa prodeſt. Quam ob rem, dum inflammatione laborat oculus, ſanguis et commodiſſime et utiliſſime mitti poteſt, temporibus et partibus oculo quam maxime vicinis ſanguiſugas, vel, cute prius caeſa et ſcariſicata, cucurbitulas admovendo.

L. Sanguis, magno cum fructu, detrahi quoque poteſt *arteriolis* ipſius *adnatae* ſcalpro chirurgico ita ſcariſicando ſeu tranſverſe incidendo, ut inde ſanguis praeter naturam cumulatus, portulis datis effluat. Hoc modo ſanguis commode detrahi poteſt, et, quod profecto interdum factu admodum

utile eſt et quidem neceſſarium, interjectis intervallis, compluries.

LI. *Cathartica.*—Hujus generis medicamentorum fortiſſima olim invalebant, et profecto etiamnum apud nonnullos medicorum invalent. Quae ſupra (XLVII.—XLVIII.) de generali ſanguinis detractione diximus, eadem, quae, hic loci, dicamus de validorum catharticorum uſu, habemus. Cathartica non aſſumenda eſſe putamus, niſi inflammatio per totum caput dimanaverit, et ardens eam febris comitetur: et profecto etiam tunc, catharticis ácribus et ſtimulantibus, quorum uſus olim adeo invaleret, quaeque alvum admodum ſubducant, mitiora et refrigerantia eſſe anteponenda cenſemus.

LII. Cur medicamenta ea cathartica, quae partim ex hydrargyro conſtent, caeteris, dum urget oculi inflammatio, anteferenda ſint, perſpicere utique non poſſumus.

LIII. *Veſicatoria* cuilibet capitis parti, temporibus ſcilicet, pone aures, vel demum ipſi ejus parti, qua naſcuntur capilli, prius raſae admota, plurimum,

ad eliciendum ſanguinem ex oculo inflammatione correpto, utique poſſunt.

LIV. *Fonticuli* in partibus oculo affecto vicinis facti, eoſdem prope effectus, ac *veſicatoria*, praeſtant.

LV. *Scintillae Electricae* ex oculo elicitae, ſaepe, ut conquieſcat inflammatio, efficiunt. Hoc vero inflammationis levamen, plerumque admodum fugax eſt; nam ſigna, etſi non ſemper ut antea gravia, perſaepe recurrunt.

LVI. Ob ſedem, quam *ophthalmia* occupet, praecipua remedia, ad quae, ſive levandi ſive ſanandi cauſa, decurratur, parti ipſi affectae, vel ſaltem partibus quam maxime vicinis extrinſecus admovenda ſunt. Hujus generis medicamentorum efficaciſſima quaedam, hic loci, memorare liceat.

LVI. Ex *opio* praeparata, mirum in modum, ad dolorem compeſcendum, et quoque laboranti optatum levamen afferendum, pollent. Opium aqua liquatum, externo fere oculo admovetur; ſed, quod in primis mirandum eſt, *tinctura Thebaica* ea praefer-

tim, qua in praeperanda vinum adhibetur, multo fere plus poteſt.

LVIII. Mirum ſane eſt, *frigus* et medicamenta *aſtringentia* plurimum ad inflammationem oculi mitigandam proficere. Hoc conſilio minime ſatis eſt, objectare oculum perfrigido aëri: ipſum oculi globum, et univerſum quidem caput aqua frigida identidem fovere utiliſſimum erit.

LIX. 1. *Aſtringentia*, quamvis ſaepe plurimum proſint, nimis inconſulte et temere admota eſſe videntur. Perperam noſtra opinione, ad ea, in recente *ophthalmia*, prius decurritur, quam aliquid exinanitionis effectum fuerit, et dolor vehemens et irritatio nonnihil conquieverint.

2. Quoties admovenda ſunt, mitiſſima, aqua velut roſarum, vel ſal quidam metallicus probe dilutus, caeteris initio anteferenda ſunt. Aſtringentia ex plumbo praeparata, longe optima ſunt habenda. *Vitriolum* quoque album, oculi inflammatione laborantibus plurimum ſaepe commodi attulit.

3. Siquando *tarſi* palpebrarum leviter exulce-

rentur, praeparata ex aere Cyprio permultum proſunt, praeſertim cum vitium ex morbida in ſanguine circumfluo acrimonia pendeat.

CONSILIUM SECUNDUM.

LX. Signorum, quae graviſſime urgent, lucis impatientia moleſtiſſimum eſt. Ut inde dolore non crucietur aeger, ſemet in conclavi tenebroſo, ſeu ſaltem in quod parum lucis admittitur, ſedulo habere oportet, et, etiam cum fere ex toto conquieverit inflammatio, et lucis intolerantia receſſerit, oculus luci paulatim et cautiſſime objiciendus eſt.

LXI. 1. Moleſtum alterum ſignum, quod ſupra (VIII.) recenſuimus, eſt palpebrarum, inter ſomnum, conglutinatio. Quo haec non accidat, pauxillum unguenti emollientis palpebris, unaquaque nocte hora ſomni, interponendum eſt. Quoniam haec conglutinatio ulcuſculis *tarſorum* plerumque efficitur, opus erit, quoties hoc accidat, tale huic unguento immiſcere medicamentum, quale ea ſanet.

2. Hoc conſilio optimum factu videtur, unguenta hydrargyrum addere. Unguentorum, quae,

aliqua ex parte, ex hydrargyro conſtent, optimum eſt id, cui, in *Pharmacopoeia* EDINBURGENA, nomen, *unguentum citrinum*, inditum eſt. Eundem in finem, unguentum, cui praeparatum aliquid ex aere Cyprio ſeu *cupro* ineſt, utile eſſe medici comperrerunt. Hic autem loci obiter obſervandum eſt, unguenta quibus hydrargyrum ineſt vel aes Cyprium, mitia eſſe debere.

LXII. Medicamentis, quae recenſuimus, caute et prudenter admotis, *ophthalmia*, niſi ex labe quadam corporis morbida originem initio duxerit, plerumque, acie oculi integra et ſana, prorſus evaneſcit. Quod ſi a labe morbida initio orta ſit, et eadem alatur, hanc prius tollere vel corrigere opus eſt, quam ea ſanari poſſit.

LXIII. Poſtquam, idoneis remediis tempeſtive adhibitis, *ophthalmia* prorſus evanuerit, oculus eodem malo iterum affici iterumque aptus perſaepe manet. Praecavendi, ne hoc fieret, cauſa, varia, medicamenta aſtringentia admota ſunt. Propterea vero quod haec plerumque fuerunt juſto fortiora, optatum effectum raro, ſi unquam, praeſtiterunt.

LXIV. Eodem utique conſilio oculus aqua roſarum, ſeu alio quodam leviter aſtringente medicamento, ſubinde fovendus eſt. Quin et aquam frigidam vel univerſo corpori, vel capiti, vel ipſi oculo identidem affundere, utiliſſimum erit.

LXV. Remediorum, quae, ne redeat *ophthalmia*, obſtare poſſunt, ultimum memoratu dignum, cortex eſt Peruvianus; qui hoc conſilio datus, multum ſane poteſt, in cujuſque multo uſu, in aliquid temporis, revaleſcenti interdum perſeverandum eſt.

LXVI. Praecipuis remediis, quibus vel ſanari vel praecaveri poſſit *ophthalmia*, recenſitis, huic diſputationi finem imponemus obſervando, revaleſcentem res omnes, quae oculos magnopere irritent, praeſertim lucem nimis fulgidam, vitare oportere. Ut adverſus lucem oculum muniat, nil factu melius eſt, quam hunc obtentu veli viridis ſerici inumbrare.

FINIS.